Quelle: https://manuscripta.at/?ID=446
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

discretum non ut plerique existimant
et maxime stoici paria esse peccata;
sed vel magna vel parva, et pro qualitate
mensuraque peccantium diversita-
tem esse iudicii punientis. Repleta est
inquit terra sanguinibus, sive ut lxx
transtulerunt, populis et civitas repleta
est aversione; aut ut vulgata habet
editio iniquitate et inmundicia. Non
modicus sanguis effusus est, sed de por-
ta usque ad portam, et omnis civitas
declinavit a cultu dei, et pro eo plena est in-
mundicia ydolatriae, videlicet sordibus.
Causa autem tantorum scelerum illa est
quod putaverunt providentiam non esse super
terram, nec deum curare mortalia, iux-
ta illud quod alibi legimus, scilicet his super
his dolor est, ea cura quietos sollicitat.
Quia ergo illi vel putaverunt non esse providen-
tiam vel quae ante fuerat in populis, hoc
tempore populum suum reliquisse, propterea
et dicit non parcet oculus nec miserebitur, ut
contra vicia saeviens placabilis sit vir-
tutibus, viasque eorum atque peccata red-
dat super capita eorum vel super principale
cordis vel super principes populi, iuxta nu-
merorum librum, in quo capita populorum
principes esse dicuntur.

Et ecce vir qui indutus erat lineis qui
habebat atramentarium in lumbis
suis, respondit verbum dicens: Feci sicut
praecepisti mihi. LXX. Et ecce vir qui in-
dutus erat podere, id est veste talari, et
accinctus zona lumbos suos, et respon-
dit verbum dicens: Feci sicut mandasti mihi.
Ipse est vir cui iussum est transire per me-
diam Ierusalem et ponere signum in frontibus
virorum gementium et dolentium super cunc-
tis iniquitatibus eorum. Dicit enim se
domini praecepta complesse et signaculo
thau litterae frontem armasse lugentium.
Sex autem viri quibus praeceperat dominus dicens
transite per mediam civitatem, sequen-
tes eum, et percutite, nullique misereamini
usque ad internitionem, nichil tale
renuntiant; neque enim lectione se mer[?]-
uisse impleuere sententiam, quae non sermo-
ne sed opere probabatur. Et in hoc loco pro podere
id est veste talari, quam interpretati sunt LXX,
theodocio ipsum verbum hebraicum posu-
it, baddyn; symmachus lineam; aquila
praecipuam sive solam. Et zona quoque sym-
machus tabulas, aquila atramentarium,
theodotio caste posuerunt.

Et vidi, et ecce in firmamento
quod erat super caput cherubyn quasi
lapis saphyrus, quasi species similitu-
dinis solii apparuit super eam. Et dixit
ad virum qui indutus erat lineis,
et ait: Ingredere in medio rotarum
quae sunt subter cherub, et imple manus
tuas prunis ignis quae sunt subter che-
rubyn, et effunde super civitatem. De
firmamento quod erat super cherubyn et
de lapide saphyro qui habebat simi-
litudinem troni, et de rotis quae anima-
lia sequebantur, supra dixisse sufficiat,
et illorum lectori explanationem [illegible]
sit. Hunc autem quod iubet illi qui in-
dutus erat lineis, pro quo LXX stolam
interpretati sunt, ut tollat prunas
ignis de medio cherubyn et effundat
sive spargat super civitatem, illud mihi
videtur ostendere quod post interfectionem
cedemque multorum et in vivis cadavera
mortuorum prunarum ignis assumitur